21

DIE SOLENNI
ET ANNIVERSARIO,
PLVRIMVM REVERENDI,
PRAECLARISSIMI, DOCTISSIMIQVE

DN. M. PETRI IAENICHII
ECCLESIASTAE NON MINVS,
QVAM
RECTORIS ET PROFESSORIS
PRIMARII DIGNISSIMI
NOMINE INSIGNI,
STVDIORVM SVORVM
MVSAGETAE FIDISSIMO,
BENE OMINARI, LAETA COMPRECARI,
HOCQVE CVLTVS ET OBSERVANTIAE
MONVMENVTM
ANNO cIɔ Iɔ CCXXVI. D. XXIX. IVNII STATVERE VOLVERVNT
PRIMARVM CLASSIVM ALVMNI.

THORVNII
Impressit Ioh. Nicolai. NOBIL. SENATVS & GYMNASII Typographus

FAvete lingvis!
Helicon post longa silentia
Vocalis esse incipit,
Caput erigit e ruinis,
Lacrumas abstergit, frontem exporrigit,
Habet cur deponat vultum Socraticum,
Cur post lugubre biennium ridere incipiat.
Vicit acerba temporum,
Suisque malis superstes miratur,
Fundamenta mota nec tamen emota,
Sedes translatas non sublatas esse.
Numerat adhuc sua robora,
Surculos à stipite surgere,
Frondibus vestiri, gemmas facere,
In flores erumpere cernit.
Miratus olim Seneca est
Ramos nodosos & retorridos,
Truncum tristem & squalidum
In platanis, quas ipse posuerat,
Primus illarum folia viderat.
Mirantur Physici iuga montium decrescere,
Saxa exedi vetustate temporum,
Stellas disparere in summa coeli orbita,
Quae singula cum aevo certare poterant.
Nobis aeque mirum est
Stare Heliconem, quem cadere,
Coruscare stellulis, quas evanescere,
Rivulis & fonticulis irrigari,
Quos averti tristes ipsi vidimus.
Quid mirum?
Annum imitatur, & siquid intra anni ambitum
Ire, redire, oriri, aborisci,
Tingi Oceano iterumque vides emergere.
Nihil tamen ex universo perit,
Quamvis singula alternis meant vicibus.
Ideo quippe sol occasum petit,
Vt alio cardine laetior exurgat.

Ideo

Ideo menses migrant floridi,
Vt flavam aestas coquat Cererem.
Brumae cedit autumnus,
Vt fatigata frugibus natura conquiescat,
Nives inter et pruinas mortua
Vere iterum reviviscat.
Eadem Musis fata sunt.
Florent aliquantum, tanquam futurae marcidae;
Stant in extrema regula, ut redeant ad primam;
Nocte involvunt caput, qua se iterum evolvant,
Et post momenta eclipsium pleno coruscent lumine.
Hoc ergo laetatur Helicon,
Hoc illi vocem exprimit,
Hac luce in primis fausta & luculenta,
Quae svavem nominis PETRINI *memoriam*
Post dies oppido insvaves revehit.
Quis tamen saxa loqui,
Homines silere perferat?
Patere igitur, Vir admodum Reverende,
Clarissime, Doctissime, PETRE IAENICHI,
Rector Musarum dexterrime,
Ingeniorum parens & fictor fidissime!
Patere nos Heliconis incolas,
Doctrinae & disciplinae alumnos,
Nominis Tui cultores non ultimos,
In plausus erumpere,
Bona ominari, meliora precari,
Optima quaeque cum Deo & die polliceri.
Modestia Tua prohibet nova concinnare elogia:
Audacia enim esset, non pietas,
Eum mactare velle laudibus,
Quas virtus Tua dudum supergressa est,
Iuvenes vero sentiunt, nec assequntur.
Hoc tamen alumnis Tuis permitte fateri,
Felices nos esse, neque satis capere felicitatem,
Quod rebus prolapsis inclinata sustines,
Fracta consolidas, frigida & torpida foves.

Fidere

Fidere doces, ubi omnis vacillat ratio;
Sperare iubes, ubi nihil quod speres superest;
Amare mones & prosequi bonas literas,
Quas qui non amat, vix ille sit bonus.
Agis hoc Sacerdos in Ecclesia,
Et omnibus Te impertis:
Agis hoc Rector in Gymnasio,
Neque ulli operam Tuam denegas.
Sic nempe natus es, ut alienus mavelis esse quam Tuus:
Sic animatus, ut omnem horam publicam, nullam
Prope noveris domesticam. Quid multa?
Te, Venerande Musageta,
Et PETRO *&* IANO *gloriatur Thorunium.*
Illo modo geminas dispensare claves
Dei iussio, Patrum nutus & consensus fuit;
Vt una reserares coeli mysteria,
Altera Musarum aperires adyta.
Hoc iterum Clusius es, qui vitiis ponit obicem:
Patulcius es, cuius vita, lingva, animus,
Civibus & extraneis ex aequo patet.
Sit haec nobis propria & perennis felicitas!
Vt, quoties diem PETRO *sacrum recolis,*
Te quoque nobis renatum laeti lubentes gratulemur.
Maneat animo vigor illibatus,
Quem communi saluti sacrificas.
Duret corpori intemerata sanitas,
Quam curis & vigiliis frangere non dubitas.
Accedat consiliis successus, annis numerus,
Famae decus, Familiae incrementum.
Videas Heliconarenasci,
Quem nuper denatum, prope conclamatum videras.
Summa votorum haec esto:
Vt diu nobis sis, quem semel Deus, virtus, natura,
Finxit, fecit, bono sidere donavit.
Die Iunii, qui nomen Tuum exoptatum praefert,
Ecclesiae, Nobis, Tuis, bonis omnibus
Iugiter reiuvenescas.

4534